



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM LITTERAE DECRETALES QUASI SEMINE SANGUINIS ANDREAE
DUNG-LAC PRESBYTERO, THOMAE THIÊN ET EMMANUELI PHUNG**

**LAICIS, HIERONYMO HERMOSILLA O.P., VALENTINO BERRIO-OCHOA ET
ALIIS SEX EPISCOPIB, THEOPHANI VÉNARD PRESBYTERO M.E.P. ET**

CV SOCIIS MARTYRIBUS SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR «Quasi semine sanguinis impleta est martyribus terra, et de illo semine seges surrexit Ecclesiae. Plus asseruerunt Christum mortui, quam vivi. Hodie asserunt, hodie praedicant: tacet lingua, sonant facta» (S. AUGUSTINUS, *Sermo CCLXXXVI*: PL XXXVIII, 1298). Sancti Augustini cogitatio haec in primaevam christianitatem conversa Nos omnino impellit ut in salutis divinae historiam mentem Nostram conferamus, retro scilicet decurrentes ad quattuor illa usque saecula quibus affecta est Asiae regio ad orientem quae spectat pariter ad meridiem, quae Vietnamia vocatur, quaeque Tonchinum, Annamam, Concicinam, antiquitus complectebatur. Feracissimum quidem solum aquae solisque copia, uberrimum simul sanguine complurium «interfactorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant. Et datae sunt illis singulae stolae albae, ... donec impleantur et conservi eorum ... qui interficiendi sunt sicut et illi» (Ap 6, 9-11). Catholicae fidei semen ibidem primum mediante saeculo XVI iactum est per missionarios ex Europa oriundos eosdemque Ordinis Praedicatorum sodales, Societatis pariter Iesu et Societatis Parisiensis missionum ad exterarum gentes. Domini verbum a singulis societatis ordinibus est receptum. Omnes profecto Christi scientiam sunt edocti, quae est virtus et sapientia Dei (cf. 1 Cor 1, 23-24). Quamvis eorum vultus nota inustus esset «falsae religionis», reddebant tamen ipsi uni Deo gloriam unique Mediatori Dei et hominum homini Christo Iesu (cf. 1 Tim 2, 5). Ad saeculum usque XIX complures existerunt aetates quibus christianus cultus proscribatur, inter quae regum Minh Manh (MDCCCXX-MDCCCXL) tempus annumeratur et Tu Duc (MDCCCXLVII-MDCCCLXXXIII). His nempe in temporis spatiis CVIII fidei christianae confessores ex CXVII recensentur, hodie in sanctorum catalogum referendi. VIII episcopi computantur, L Presbyteri, LIX Laici. Vietnamenses ortu adscribuntur ex iis XCVI, Hispani XI, Galli X, quorum LXXV supplicio addicti capitis, XXII iugulationis, VI ignis, membrorum dissectionis V, IX autem in vinculis cruciatu perierunt. Eorum dimidia pars ad Vicariatus Apostolicos pertinet ab Ordinis Praedicatorum sodalibus temperatos; altera quidem pars ad Vicariatos Apostolicos concreditos Societati Parisiensi missionum ad exterarum gentes. En index per hierarchicum-sacramentalem gradum confectus et martyrii ordinem ab anno MDCCXLV ad MDCCCLXII, ubi sunt Episcopi : Dominicus Henares, O.P.; Clemens Ignatius Delgado Cebrian, O.P.; Petrus Rosa Ursula Borie, M.E.P.; Iosephus Maria Diaz Sanjurjo, O.P.; Melchior Garcia Sampedro Suarez, O.P.; Hieronymus Hermosilla, O.P.; Valentinus Berrio Ochoa, O.P.; Stephanus Theodorus Cuenot, M.E.P. Presbyteri : Franciscus Gil De Federich, O.P.; Matthaeus Alonso Leciniana, O.P.; Hyacinthus Castaneda, O.P.; Vincentius Lê Quang Liêm, O.P.; Emmanuel Nguyễn Văn Triêu; Ioannes Dat; Petrus Lê Tuy; Franciscus Isidorus Gagelin, M.E.P.; Iosephus Marchand, M.E.P.; Ioannes Carolus Cornay, M.E.P.; Vincentius Dô Yên,

O.P.; Petrus Nguyễn Bá Tuân; Iosephus Fernandez, O.P.; Bernardus Vu Văn Duê; Dominicus Nguyễn Văn Ranh (Diêu), O.P.; Iacobus Đỗ Mai Năm; Iosephus Dăng Dinh (Niên) Vien; Petrus Nguyễn Văn Tu, O.P.; Franciscus Jaccard, M.E.P.; Vincentius Nguyễn Thế Diêm; Petrus Võ Dăng Khoa; Dominicus Tuốc, O.P.; Thomas Dinh Việt Du, O.P.; Dominicus Nguyễn Văn (Doan) Xuyên, O.P.; Andreas Dung Lạc; Petrus Trương Văn Thi; Paulus Phạm Khắc Khoan; Iosephus Đỗ Quang Hiên, O.P.; Lucas Vu Bá Loan; Dominicus Trach (Đoài), O.P.; Paulus Nguyễn Ngân; Iosephus Nguyễn Đình Nghi; Martinus Ta Đức Thịnh; Petrus Khanh; Augustinus Schoeffler, M.E.P.; Ioannes Aloisius Bonnard, M.E.P.; Philippus Phan Văn Minh; Laurentius Nguyễn Văn Hương; Paulus Lê Bảo Tinh; Dominicus Mâu, O.P.; Paulus Lê Văn Lộc; Dominicus Câm, T.O.P.; Petrus Doãn Công Quý; Petrus Franciscus Neron, M.E.P.; Thomas Khuông, T.O.P.; Ioannes Theophanes Vénard, M.E.P.; Petrus Nguyễn Văn Lưu; Iosephus Tuấn, O.P.; Ioannes Doãn Trinh Hoàn; Petrus Almato Ribera, O.P. Laici: Paulus Tông Việt Buong; Andreas Trần Văn Trọng; Franciscus Xaverius Câm; Franciscus Đỗ Văn (Hiên) Chiêu; Iosephus Nguyễn Đình Uyên, T.O.P.; Petrus Nguyễn Dích; Michael Nguyễn Huy My; Iosephus Hoảng Lương Canh, T.O.P.; Thomas Trần Văn Thiên; Petrus Trương Văn Duong; Paulus Nguyễn Văn My; Petrus Vu Văn Truật; Augustinus Phan Việt Huy; Nicolaus Bui Đức Thế; Dominicus (Nicolaus) Dinh Dat; Thomas Nguyễn Văn Dê, T.O.P.; Franciscus Xaverius Hã Trọng Mâu, T.O.P.; Augustinus Nguyễn Văn Mói, T.O.P.; Dominicus Bui Văn Úy T.O.P.; Stephanus Nguyễn Văn Vinh, T.O.P.; Petrus Nguyễn Văn Hiêu; Ioannes Baptista Dinh Văn Thanh; Antonius Nguyễn Hữu (Nam) Quỳnh; Petrus Nguyễn Khắc Tu; Thomas Toãn, T.O.P.; Ioannes Baptista Con; Martinus Tho; Simeon Phan Đức Hoã; Agnes Lê Thị Thành (Dê); Matthaëus Lê Văn Gâm; Iosephus Nguyễn Văn Lưu; Andreas Nguyễn Kim Thông (Nam Thuông); Michael Hồ Đình Hy; Petrus Doãn Văn Văn; Franciscus Trần Văn Trung; Dominicus Phạm Trọng (An) Kham, T.O.P.; Lucas Phạm Trọng (Cai) Thĩn; Iosephus Phạm Trọng (Cai) Ta; Paulus Hạnh; Emmanuel Lê Văn Phung; Iosephus Lê Dăng Thi; Matthaëus Nguyễn Văn (Nguyễn) Phương; Iosephus Nguyễn Duy Khang, T.O.P.; Iosephus Tuấn; Iosephus Túc; Dominicus Ninh; Dominicus Toai; Laurentius Ngôn; Paulus (Đông) Duong; Dominicus Huyền; Petrus Dung; Vincentius Duong; Petrus Thuận; Dominicus Mao; Dominicus Nguyễn; Dominicus Nhi; Andreas Tuong; Vincentius Tuong; Petrus Da. Si autem triplici laude tres ecclesiales ordines describere volumus horum martyrum, fidei profecto Patres sunt appellandi Episcopi, qui populum illum fidelem in Christo postquam genuerant (cf. *1 Cor 4-15*), ipsius eximii extiterunt testes usque ad passionem crucemque, sic «forma facti gregis ex animo» (*1 Pt 5, 3*) exemplari ob oculos habito Iesu scilicet Boni Pastoris. L exinde Presbyteri, verbi ministerio consociati et vinculis, quae ex ipso sacramento exceperant penitus compleverunt, «ordinis Episcopalis providi cooperatores» (*Lumen gentium, 28*); et ii sanguinis Agni immaculati dispensatores quo et se ipsi mundaverunt. LIX tandem Laici ex variis societatis ordinibus trahentes originem, fere scilicet omnes patresfamilias ac nonnulli catechistae, baptismum aquae vixerunt suntque eundem testati, ignis pariter et Spiritus Sancti (cf. *Mt 3, 11*). Ipsi quoque sacrorum operariorum sollertes socii, communitatem suam, sive familiarem sive paroecialem, communionem missionalem reddiderunt: ecclesiam scilicet domesticam precationis et praedicationis Dei verbi (cf. *Christifideles laici, 32-33*). Christi crux, quam omnes adorarunt potius quam proculcarent, omnibus fuit salus et vita. Complurium eorum martyrium in Consistorio dilaudaverant Decessores Nostri Pius VI et Gregorius XVI, qui exinde in quattuor coetus distributi, in Beatorum catalogum a Leone XIII anno MCM, Pio X anno MCMVI et MCMIX, Pio XII anno MCMLI sunt relati. Die autem XVIII mensis Aprilis anno MCMLXXXVI Congregatio pro Causis Sanctorum eosdem in unum coadunavit ut una simul canonizarentur. Anno enim ante Conferentia Episcopalis Vietnamensis a Nobis idem postulaverat, XV decurrente anniversaria memoria hierarchiae catholicae inibi constitutae, ubi XXV dioeceses numerantur et sexagies centena milia fidelium. In fide christiana testificanda firma et saecularis huius populi constantia, hodiernis quoque temporibus significata, Pastorum iudicio omnino requirebat ut CXVII supra memorati Beati in album Sanctorum adscriberentur, magistri quidem vitae, exculi et in exemplum sumpti. Postulationi huic se consociaverunt Philippinarum Insularum Episcopi, Hispaniae et Galliae, et Supremi Moderatores Ordinis Praedicatorum

et Societatis Parisiensis missionum ad exterarum gentes. Nos autem quorum est in fide confirmare fratres (cf. *Lc* 22, 32) parato animo volentique (cf. *2 Mac* 1, 3) aestimavimus et tam praestans postulatum excepimus. Decreto autem die V mensis Iunii anno MCMLXXXVI foras a competenti Congregatione emisso, statuimus canonizationem faciendam, miro praetermisso: «Attenta mirabili in sancta Fide perseverantia Christifidelium Vietnamensium, exemplis et precibus eorumdem Beatorum Martyrum tributa, necnon solida signorum et miraculorum fama quorundam ex iisdem Martyribus». Die autem XXII mensis Iunii anno MCMLXXXVII Sacro Consistorio convocato, faventibus Patribus Cardinalibus et Episcopis adstantibus, canonizationis diem statuimus. Die ergo XIX mensis Iunii anno MCMLXXXVIII in foro Petriano, quo milleni convenerant peregrinatores, praesertim Vietnamenses, petitione audita Venerabilis Fratris Nostri S. R. E. Cardinalis Petri Palazzini, Congregationis pro Causis Sanctorum Praefecti, iis per litaniarum cantum invocatis, hanc ediximus formulam: «Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatum Andream Dung-Lac, Thomam Thiên, Emmanuelem Phung, Hieronymum Hermosilla, Valentinum Berrio-Ochoa, Theophanem Vénard, et centum undecim Socios, Martyres, Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos martyres pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Quibus verbis dictis, has Litteras Decretales confici et expediri iussimus, ac de novensilibus Sanctis eorumdemque virtutibus sermonem habuimus. *Datum Romae, apud S. Petrum die undevicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo octavo, Pontificatus Nostri decimo.* EGO IOANNES PAULUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.* © Copyright 1988 - Libreria Editrice Vaticana